


**05**

**A**

**1517**





2. 80  
27  
*Quod Felix Faustumq, sit*  
DISPUTATIO INAUGURALIS

*Quam*  
*DE*  
PUBERTATI  
PROXIMIS EORUMQVE  
JURIBUS,

EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI  
RECTORUM ORDINIS  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA WITTEBERGENSI  
PRÆSIDE

*VIRO CLARISSIMO*  
DN. CASPARO ZIEGLERO,  
J. U. D. CONSIL. ELECT. SAXON. ET FA.  
CULT. JURID. ORDINARIO.

*DN. Patrono suo æternum devenerando*  
PRO LICENTIA

Summos in utrôqve Jure honores & Privilegia  
ritè & legitimè capessendi

*Publica ac solenni disquisitioni exponit*

JOHANNES ELIAS Schlegel /  
GRIM. MISN.

*ad D. XIII. Dec. Anno M. DC. LXXXVII.*

In Auditoriô Majori horis ante & pomeridanis.

---

WITTENBERGÆ

Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISPUTATIO IN AUREIS

PUBERTATI  
PROXIMIS FORUM  
JURIBUS

EX DECRETO ET MANDATO MAGISTRI  
UNIVERSITATIS



DM CASPAR OZIEGLER

J. D. CORN. ~~1579~~ 1579  
CULT. JURID. ORDINARIO

DM. Patrono suo

PRO LICENTIA

Summus in urbe hoc honore & privilegio

JOHANNES ELIAS

GRIMM

In

...





AD  
CLARISS. DN. CANDIDATUM  
SCHLEGELIUM,

**R**odit hæc Tua Dissertatio eâ quidem cum inscriptione, quæ me Tibi præsidio aut si mavis subsidio futurum pollicetur. Ar verò nullas planè mihi hîc reliquas esse partes ipse, quem machinarius, conflictus ostendet. Qui enim tum præsentem intueri & docentem audire velle opinabuntur, oppidò se falli & comparere me omninò nullum observabunt. Quam vellem verò huic Tuæ causæ patronus existere, eamque adversus oppugnantium tela secundum leges Academicas & more recepto tueri atque defendere. Idque officii genus & ordo, quem observamus hætenus, & ipsi Tu, quos nunc petis honores postulant. Sed enim vis major, quæ ex cal-

) ( cu



culi affectu mihi exorta est, omnes ferè in re-  
bus agendis vias intercludit, & ipsis quasi men-  
tis luminibus quandoque obstruit, ut propter  
urgentes asperos & acerbos dolores, qui qua-  
si perpetui sunt, domi me continere cogar, &  
conventûs etiam sacros rarò admodum nec  
nisi cum exquisito corporis cruciatu adire con-  
cessum sit. Ne tamen interim deesse Tibi vi-  
dear, obtinui ego à Consultissimo DN. GE-  
ORGIO MICHAELE HEBERO, Anteces-  
sore hujus Academiae nobilissimo, ut personam  
ille meam sustineat, & quam ego debui operam  
præstet subsidiariam. Ego in affectu hoc meo,  
& tantum non carnificinâ, quam exitialem fo-  
re ominor, mihi patientiam, & sub tali torto-  
re vires divinas, Tibi verò in hoc Tuo stadio  
cursum felicissimum exopto. Faxit DEUS, ut  
tuum istud specimen ad multo majores & ube-  
riores honores capeffendos viam sternat, Te-  
que ad altiora tendentem bonis omnibus pro-  
lixè commendet.

CASPAR ZIEGLERUS.

VI.

VIRO CLARISSIMO,  
JO. ELIÆ SCHLEGELIO,

J. U. Candidato meritissimo,

C. S. SCHURZFLEISCHIUS.

**R**eligio mihi est, denegare officium, quod pro  
amicitia, quæ mihi tecum est firmissima, ul-  
tro libenterque tribuendum duxi. Omnino e-  
nim te fero in oculis, & reputo institutum, lau-  
de dignissimum, quod vehementer probo, & u-  
tile esse intelligo, ac foro peraccommodatum.  
De argumento, quod exequeris, nihilo seciùs  
existimo, quippe quod ab aliis quidem diu oc-  
cupatum, sed non ita penitus exhaustum est, ut  
nihil reliqui sit labori tuo. Et verò tu osten-  
dis potiùs, quàm jactas industriam, atque ani-  
mum prodis ambitione vacuum, insigni perinde  
ac raro modestiæ exemplo. Hæc tua virtus est,  
aut profectò in virtutibus tuis familiam ducit,  
& imprimis te decet, ac veram solidamq; juris-  
prudentiam magnopere exornat. Formulas  
dudum usu calles, & causas argumentaq; deci-  
dendi in promptu habes, nec te rationes & conje-  
cturæ deficiunt, quotiescunque de rebus per se

) ( 2

du-

dubiis, & sepe variantibus nihil definiunt leges. Diversi corporum habitus, & dissimiles cœli regionumq; situs ac temperationes permultum possunt & valent, ac modò afferunt, modò impediunt maturitatem. Tanto difficilius est statuere de pubertate hominum, quæ non una & eadem est, nec paribus semper intervallis exactè inchoatur. Magnas habet natura varietates virium, & agendi vicissitudines, quas scrutari magis, quàm pernoscere licebit. Igitur cauto opus est, ut probè diligenterq; omnia circumspicias, priusquam, ratione subductâ, constituas, sententiamque dicas. Quod minimè omittendum putasti, cum expeditam huius rei viam teneas, & pulchrè doceas, quibus quæque indicis, apertis, an dubiis, se prodant, quibusque modis colligenda sint, ne fallant exquirentis curam. Non te fugiunt exempla, quæ abunde hanc pubescentium dissimilitudinè confirmant, ac velut ante oculos ponunt. Illud verò quærere super-  
vacuum est, quod magis ad literas, quàm ad leges pertinet, nec tamen ingratum tibi, nedum molestum fore, sism persuasus. Nam, quod nemini humanitatis perito obscurum est, puberes quondam dicti sunt vesticipes, & impube-

res



res etiam investes nominati leguntur. Contra omnes, quotquot proximè à pubertate absunt, suo & proprio nomine olim non sunt appellati. Haud te præterit numerus auctoritasque testimonium, quæ sumas licet & mutere à Gellio, Apulejo, Palladio, Macrobio, Festo, Nonioq; Marcello, & nisi grave est, à Tertulliano, per antiquo & juris intelligente, gna-roq; ritus & rei Christianæ scriptore, qui omnes causæ meæ suffragantur. Tantùm de veteribus jureconsultis addo confidenter & moneo (nec enim ita tibi Suffenus es, ut moneri recuses) puberis nomen plerunq; de maribus dicere consuisse: sed cum fœmellas describerent, distincto & singulari vocabulo celebrasse viripotentes, quas prisca Latinitatis exemplo nobiles vocamus. Prudens mihi tempero, quodominis plura depromam, quæ tu, me tacente, satis perspecta habes, & distinguis aptè, ac internoscis eruditè. Ego, quod restat, novus honores suscepturo bene voveo, & sincerè, ut par est, gratulor; quorum ut initia læta sunt, sic non dubito, fore majora deinceps incrementa, exitumq; pariter faustum, ac novæ ad eò dignitatis familiæq; accessione

*insignem, & inprimis etiam meo cum stabili gau-  
dio, amicorumq; gratulatione conjunctum. Vi-  
temberge cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c XXXVII. Eid. Decembr.*

---

VIRO

*Nobilissimo atq;ve Clarissimo*  
DNO. JOH. ELIÆ SCHLEGELIO,

J. U. Lndo

S. P. D.

LUDERUS MENCKE, Phil. & J. U. D.

**D**ivino consilio varia est hominum fortu-  
na, ut humanum pectus secundis rebus  
prudenter diffidere, & adversis, cum spe exop-  
tatae vicisitudinis, invigilare discat, rerumq;  
exitus ab homine non fingi, sed divinitus ex-  
pectari intelligat. Ita enim mens humana  
coelestes nutus, ut heliotropium solem, respi-  
cit, sequitur, & quò magis ab infidis hujus se-  
culi fluctibus jactatur, eò feliciter ad portum  
divinae fiduciae appellit. Tutissima est hæc  
ad vitæ tranquillitatem & felicitatem via, ad  
quam si Te, Clarissime DNE. SCHLEGELI,  
manu quasi Numinis deductum esse asseram,  
nihil me, ut opinor, fallit. Omnium, qui vi-  
vunt, vota teneram ferendisq;ve curis impa-  
rem ætatem suam paternis consiliis regi ex-  
petunt, hujus voti adimplemento Tibi exci-  
dere

derē contigit, non ut perirēs, sed ut soli Pro-  
videntiæ DEI relictus, perpenderes quo Di-  
rectore res humanæ stent pereantq;. Inanis  
ab humano consilio animus ardentissimo  
studio ad Asylum omnis salutis, Deum puto,  
contendit, nec illum nisi exoratum relinquit,  
exoraturus autem ad vitæ suæ vestigia cir-  
cumspicit, ea, si devia fuerint, revocat, coër-  
cet, summaq; animi sollicitudine ita dirigit,  
ne regiam viam deserens à limine Gratiaē di-  
vinæ excludatur, & ab eo exclusus cœli sit o-  
dium, terræ pondus, & conscientiaē turbataē  
onus. Prima igitur Tibi cura meritò divina  
Gratiaē fuit, quæ sicut animæ scutum impe-  
netrabile adversus irruentia hostis humani ge-  
neris tela exstitit, animum iis exornavit na-  
turaē dotibus industriaēq; fructibus, ut felici-  
tas naturaē & curaē ambigam sibi invicem  
palmam fecerint, illâ radices successuum in  
studiis, hâc incrementorum fastigium sibi  
vindicante, utraq; ob faustissimam suæ vir-  
tutis unionem aliis admirationem movente.  
Nam naturaē & olei opus est Justiniani morumq; sancita  
exactius, quàm vulgò fit cognoscere, thesaurumq; foro  
præparare, non ex avara claustrorum custodia, sed ex li-  
berali usu splendorem & incrementum expectantem.  
Thesauri hujus à Te, Nob. Dne. Lnde. impigro labore col-  
lecti testes sunt privati Philyrinæ nostræ publiciq; parie-  
ses,

ses, illi in apprehendendis, hi in examinandis legum ratio-  
 nibus, meo qualicunq; Præsidio succenturiante, felicem o-  
 peram suam deprædicant, parem, quæ Theoretica studia  
 profecutus es, felicitatem in fori usu, ob præclaras naturæ  
 & industriæ divitias, pollicentes. Et certè non fefellit exi-  
 tus vel publicam spem, vel Patronorum Amicorumq; ex-  
 spectationem, nam arena judiciaria & æqvissima celeberrimæ  
 Leucoræ remuneratio sui ingenii dotes delitescere non permittit,  
 atq; illa in Clientum, hæc in Patronorum & Amicorum animis  
 monumentum sibi parat ære perennius. Quos honores dum palmarii  
 instar Tibi Justitiæ dextera, fallere fidem nescia, confert,  
 spectator ego si non oculis, animo tamen & affectu de præmiis  
 illis industriæ amplissimis optimè merenti gratulor, feliciq;  
 fati varietate, quam Deo duce hætenus expertus es, ut, sub  
 tutela divini Numinis, semper utaris, & Patronorum favore,  
 Clientum fide & fiducia, Amicorum integritate, institutorum  
 successu adjutus perfruaris, animo infucato apprecor. Dab.  
 Lipsiæ. d. 2. Decemb. A. LXXXVII.

---

**I**ndolis eximia radios miratus ab annis,  
 SCHLEGELI, teneris ingeniumq; Tuum  
 Dudum prævidi: generosa mente ad Honoris  
 Præcipuum quondam, Culmen habebis iter.  
 Nunc minimus natu majornm fata Tuorum  
 Transcendis FRATRUM, Sede Toroq; prior,  
 TE Deus ulterius Themidos Venerisq; secundo  
 Complexu, & FRATRUM plurima Vota bees.

In honorem Nobilissimi DN. Candidati, Affi-  
 nis atq; Fautoris honoratissimi  
 adjiciebat


L. JACOB Wächtler / Eccles. Belzig.  
 Past. & Superint.





Q. F. F. Q.

§. I.



Ac at dubio Civilis no-  
stra scientiæ finem non in nudâ  
rerum civilium & legum co-  
gnitione, sed in actione magis,  
usu & applicatione juris ad a-  
ctiones civiles consistere: de  
quò non perperam Jctus cele-  
bris Marc. Ant. Natta *Tom. I.*  
*Consil. 1.* scripsit: Scire, inqviens,  
in nostrâ scientiâ juris non est

propter scire tantum, sed propter operari: quare umbra-  
tilis est notitia callere Leges modò, cum primis Ròmanas,  
nisi discere quis simul allaboret, quid observantia, quid u-  
sus fori modernus ferat, eave suum cuique tribuendò ap-  
plicet: Felix horum erit conjugium, infausta discordia:  
quorum posterius si negligatur à quòdam, vix est ut Res-  
publ. ab eò utilitatem sibi polliceri possit, ejusque Jurispru-  
dentia erit solitaria, vana & suffena; si prius, in forum pro-  
dibit homo nocius, plus verbis, prolixæ liti & inutilibus  
cautionibus indulgens, quàm veritati, justitiæ & saluti ci-  
vium: Quò de locuples testimonium præstat Arius Pinel-  
lus ad *L. 2. C. de resc. vend. p. 2. c. 4. n. 2.* Ego, dicens post  
longam legendi professionem postque diligentissimam  
foro nayatam operam, in eâ sententia sum, quod Theo-

A

ria

ria sine Praxi! digestam solidamque Juris cognitionem præstare nequeat, Praxis absque Theoriâ maximè periculosa & manca evadat: Nec aliud permittunt objectum, finis & alia, quæ accidunt Jurisprudentiæ nostræ, quæve in actionibus civilibus singulis & casibus prorsus singularibus, itemque circa civium utilitatem & necessitatem consideranda & discenda sedulo; Neque prætereundæ sunt Magnatum inclinationes, diversus genius agentium & similia, quæ non sinunt canonem certum & constans axioma justitiae tenere & ponere, nisi animus Jurisperitiâ Systematicâ imbutus ex usu & tritura fori certam postea & solidam acquirat ac reddat Jurisprudentiam suam: Si exemplum hujus desideremus, præstò est inter sexcenta alia materia de pubertati proximis, in quibus plurimum sanè circumstantiarum perpetuæ varietati tribuendum erit; quod argumentum dum speciminis solennis loco expendo brevibus, Dei veluti justitiae, recti & utilis Auctoris gratiam faventem mihi expeto.

## §. II.

Principiò tractatione Thematicis hujus non prorsus habebò insuper J. Ctor. Roman. monitum: Esse nullibi verborum enodationem prætereundam, sicubi quis felicem successum in re ipsâ cupiat: Hinc duo præmittenda arbitror, pubertatem nempe & ejus proximitatem. Nam laudandi hæc in parte sunt Romani, quod in omni penè doctrinâ certitudinem intenderint, & quoad id fieri potuerit, casus determinaverint; fortè ne laxior plus justò Judicibus relinqvatur licentia, quorum exemplar inter alia exhibet ætatis determinatio, cui certos gradus, quoad ista corporis & animi diversa discrimina sentit, præfinivere, & cujus eorum certos juris effectus assignarunt: Inter quos  
gra-

gradus secundum tenet locum pubertas, dicta à pube, scilicet pilosâ lanugine, quam natura in membrò quodam secretiori adolescentis, velut singularem ad maturitatem jam adspirantis indicem, protrudit: Atque hanc in mare anno 14. in foemellâ verò 12. adesse præsumunt *pr. 7. quib. mod. tut. fin. L. f. C. qn. Tut. l. Curat. esse desit.*

§. III.

Neque verò anxius & spinosius hîc inqviro in rationem naturalem, cur dispar numerus in sexu diversò ponatur, itemque an hæc Romanorum dispositio climati & regionibus nostris vel aliis respondeat: quod Paulus Zachias Jctus pariter & Medicus effecit in *Quest. Med. Leg. L. 1. T. 1. q. 7.* Nam nosse oportet, quod civilia non consistant in punctò Mathematicò, sed habeant suam latitudinem. Siquidem negocia & res civiles infinitæ; leges verò finitæ sunt, atque hinc regulæ & definitiones in singulis circumstantiis non possunt congruere, sed sæpius id, quod finito deest, ex infinito, nempe Jure Naturæ, Gentium, nec minus identitate rationis, exemplis & similibus supplendum est: Id quod noster Imperator in *L. 10. ff. de LL.* seriò monet, statuendò, nec Leges, neque Senatus Consulta ita scribi posse, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficiat, ea, quæ plerumq; accidunt contineri, atque ideò de his quæ primò constituuntur, aut interpretatione aut processu ad similia opus habere, ut pluribus ea *L. 11. 12. & 13.* persequitur: Ex quò mihi satiserit, quod in annò decimò quartò & duodecimò corpora nostrorum adolescentum ut plurimum pubescere & mentem habere incipiant, licet id in singulis subjectis non usque quaque eveniat.

§. IV.

Neque moror ea, quæ Jus Canonicum statuit pubertatem præcisè ex habitu corporis æstimans *c. 3. X. de despons. impub. Lancelott. Inst. I. Can. L. 2. t. 11. §. 3. Sutholt. diff. 2. apb. 26. Schneidevv. ad Tit. de nupt. p. 2. n. 10. Carpz. Jurispr. Consist. L. 2. t. 1. def. 12. n. 13.* quod & olim secta JCtorum Cassianorum & Sabinianorum voluit. Nam locus aliquis esse huic sententiæ posset in materiâ fortè conubiali; & ubi de matrimonio, atque facultate coeundi agitur: sed in aliis juris materiis, forte tutelarum, obligationum, criminum & similibus magis è re èrit, ut annos à Jure Civili determinatos, eave, quæ olim Proculejani docuerunt, sectemur Dn. Ziegler, *in Comm. ad cit. Loc. Inst. Lancelott. L. 2. t. 11. §. 3.*

§. V.

Quæ in re & jura Saxonica certitudini annorum & definitæ pubertati favent, utut Gloss. *L. 1. Land Recht. art. 23. & 42.* differentiam quoad successionem & tutelam in bonis feudalibus & allodialibus constituat, illic pubertatis terminum annò decimò tertiò & 6. septimanis, hîc verò communi terminò 14. annorum definiendò, à quò tamen observantiâ recessisse videtur: Et sicut in ipsâ Saxoniâ magis Jus Commune, quam feudale Saxonicum observatur, ita & hæc Juris Feudalis Saxonici singularis dispositio in pubertate definiendâ recepta non est, sed in tutelis, contractibus, testamentis & feudis quoque Civilis Juris dispositionem veneramus. *Carpz. p. 2. Const. 11. def. 9.*

§. VI.

Multò minus verò inspectionem corporis quam dictus art. 42. *L. 1. Land R.* refert, castitas nostrorum temporum admittit, licet non dissimulemus, quod & Jus vetus Sa-

Sa.



Saxonicum dictam inspectionem habitus corporis tantum in casu dubio, ubi annorum certitudo haberi nequeat, requirat: quam ego tamen ex aliis quoque indiciis haud multo infelicius colligi posse reor: In primis cum inspectio corporis indubitatum pubertatis characterem præstare vix possit, & tota hæc res arbitrio divinatorio ex variis circumstantiis collecto subjaceat. Magis verò pubertatis ratio in causis criminalibus habenda est, ubi Criminalem Constitut. Caroli V. observari Dd. hinc inde testantur, in cujus art. 164. discrimen sexus sublatum & utrinque annus completus decimus quartus index pubertatis definitus est, Richter p. 1. decis. 1. n. 37. & 56. Carpz. p. 2. C. 11. Def. 9. & p. 3. Prax. Crim. quest. 145. n. 26. Glafen. in Comm. ad cit. art. 164. p. 707.

#### §. VII.

Deinde facile constat vocem proximus superlativum esse vocis prope, propior, quodquid vicinum & affine rei cuiquam significat, atque non minus de tempore præsentis ac præteriti sumitur. Fab. & Buchn. Lex. Si verò ad forum Juridicum & personas accommodatur, intelligitur per proximum is, quem nemo antecedit, L. 92. ff. de V. S. L. 2. §. hereditas ff. de suis & legit. hered. L. f. §. 10. ff. de grad. cogn. & agnat. sicut supremus vocatur, quem nemo sequitur; Unde primogenitus rectè patri dicitur proximus, qui nullum fratrem antecessorem habet, & hic pubertati proximus est, qui proximo intervallo à pubertate abesse deprehenditur.

#### §. VIII

Cæterum monendum arbitror, quod proximitas pubertatis inter gradus ætatis propriè referenda non sit, sed qualitatem potius certam & determinatam unius gradus referat: & quidem talem qualitatem, quæ certò juris

effectu' dotata sit. Nam aliàs Viri sapientes nullò non seculò ætatem variè diviserunt: Hippocrates septem classes constituit, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, virilitatem, senectutem, & decrepitem, ut Dd. sententiam illius referentes loquuntur: Aliis ætatem in quinque, plerisque in sex partes dispesci placuit, postremos duos gradus contrahentes: quod rectè fieri videtur; cum decrepitus status accidens modò & qualitatem senectutis referat: de quo prolixiores Jac. Menoch. *Arb. Jud. Qv. L. 2. cent. 1. cas. 67. pr.* Paul. Zachias *Qv. Med. Legal. L. 1. T. 1. q. 2. & alii.*

§. IX.

At verò cum negotium sit de iis, qui pubertati proximi vocantur eorumque juribus, sætatis discrimen generale mitto: Hoc tamen non prætereo, quod in annis pubertatis non cœpti, sed completi desiderentur; quinimò nec ultimi diei implementum deesse debet; Quod secus est in honoribus capiendis, fortè favorem publicarum functionum, ne desint maturius qui publica curent, neve feliciora ingenia longius à muneribus istis obeundis, eisve assvescendis arceantur, ubi hinc annus cœptus *per L. 8. ff. de muner. & honor.* pro completò habetur: In reliquis verò plurimis Juris nostri articulis eadem legitur dispositio, quæ de impubertatis fine jam prodita sunt. Sic in excusationibus à publicis oneribus *pr. L. 3. ff. de jur. immunit. L. 2. pr. ff. de excus. tut.* annus totus completus requiritur: nec minus in solennitate condendi testamentum *per L. 5. ff. qui testam. fac. poss.* Item in usucapione, *L. 6. & 7. ff. de usucap.* in restitutione in integrum *L. 3. §. 3. ff. de minor.* in perceptione fructuum bonâ fide possessorum *L. 23. §. 1. ff. de acquir. rer. domin.* & aliis materiis observandum esse jura requirunt.

§. X. Por-

§. X.

Porro verò circa pubertati proximos dissonæ prorsus opiniones Dd. reperiuntur. Alii semestre tantum spatium à puncto pubertatis ponunt, Alii tres dies; rursus alii annum integrum & semestrem tractum: Alii in masculis medium undecimi, & in foeminis medium decimi anni agnoscunt; Plurimi rem totam indecisam, nec in Jure nostrò satis definitam arbitrio Judicis pro varietate subjectorum, climatis, regionum aliarumve circumstantiarum relinquunt: uti diversas has opiniones, diversi tradunt Autores, ceu Francisc. de Fara in tract. de essent. infantis infantia & pub. prox. c. 28. Joh. Robertus in animadv. c. 23. Jason. ad autb. Sacram. pub. C. si adv. vend. Cujac. L. 17. obs. 4. Bald. in L. excipiuntur ff. ad SCt. Silan. Petr. Fab. ad L. 5. ff. de R. J. Accurs. ad §. 9. J. de inutil. stipul. Bartol. ad L. pupill. ff. de R. J. Jas. in L. 13. §. 5. siquidem n. C. de judic. Richter. p. 1. decis. 1. n. 50. Cz. p. 2. q. 82. n. 7. Ludvv. & Mynsing. ad §. 18. I. de obl. quæ ex del. Covarruv. T. 1. dematrim. p. 2. c. 5. n. 7. Joh. Coras. L. 6. Miscell. c. 23. n. 6. Stryck. Vol. 1. Disp. 4. c. 2. n. 10. Philipp. Usu pract. ad Inst. L. 4. Eclog. 5. n. 8. seqq. Neque omnium opiniones & fundamenta hinc enarrare aut refutare instituto meo, utpote qui brevitati studeo, est conveniens, sed satis erit in Thesi meam, & quam sequar sententiam notasse, cum in primis illud prolixè præstiterint. Menoch. A. J. 2. cent. 1. L. 2. c. 57. n. 44. & Goedd. de contrab. & commit. stipul. c. 7. n. 187. seqq.

§. XI.

Quare censeo Dd. terminum præfixum in masculis annum decimum cum dimidio & in foeminis nonum cum dimidio, non quidem spernendum, cum ea opinio pro communi ventiletur ab Autore Thesaur. Opin. Commun.

mun. fol. 59. in Lit. P. neque tamen tenacius ei ubivis  
adhærendum esse, siquidem subjecta, climata, & casus ni-  
miam quantum variant; In aliis citius; serius in aliis  
mentis & corporis maturitas emergit seve prodit; hîc  
homines vivunt hebetioris & obtusioris; illic præcocioris  
mentis & versutæ calliditatis: In hîc juris capite habitus  
corporis impuberis & fortè coëundi facultas; in illô va-  
frities & doli capacitas; in istô beneficium acqviendum  
aut amittendum, vel status defensionis considerata sunt:  
& sic applicatio juris in casibus & personis diversis non  
potest non figuram diversam induere, & quandoque à Ma-  
gistrali regula definiti temporis eorum qui pubertati pro-  
ximi vocantur, recedere.

§. XII.

Neque hinc puto isthæc Dd. tradita pro regulâ ab-  
solutâ recipi posse; sed modò pro quòdam forti indiciò,  
& juris præsumptione, cui standum, atque certi effectus Ju-  
ris tribuendi, donec aliud fortius indicium evincat con-  
trarium: & quò propius quis ad pubertatis annos defini-  
tos accessit; eò minus dubitandum de effectibus puber-  
tati proximorum inducendis; Tum autem oportere ma-  
ximè providum esse Judicem, ubi ante annum nonum  
vel decimum cum dictò dimidiò, quem pubertatis proximū  
pronunciet, eòve casu fortissimis convinci debet indiciis;  
cum primis si interesse grave & irrecuperabile damnum  
subsit; sicut & acutissimus Episcopus & Jctus Covarru-  
vias, apertè huic opinioni favet, *T. 1. de matrim. p. 2. c. 5.*  
*v. 7.*

§. XIII.

Quibus præmissis pubertati proximum non dubito de-  
scribere eum, qui duobus cū dimidio annis *pro sexus discre-*  
*sitate decimò vel nonò & dimidiò anno à pubertate abest,*  
&

& hinc vel singularibus, vel puberum juribus cenferi possit, nisi Leges expressæ, aut graves & prægnantes rationes aliud evincant, judicemque ad diversum moveant. In quâ quidem descriptione moneo, quòd eos casus intelligam quos frequentius evenire testatur experientia. Alioquin non ignoro sacros non minùs quàm profanos Annales testari, de nonnullis actibus impuberum, qui pro diversitate sexûs nondum decimum cum dimidio aut nonum cum dimidio annum attigerunt, ex quibus maturius mentis intellectus & doli capacitas in quibusdam negotiis perspicitur: ac in hujusmodi casibus arbitrium Judicis necessariò ad dictos annorum terminos restringendum haud arbitror, adeò ut tum Judex impuberem hujusmodi vel civiliter obligatum, vel animadversione & pœnâ severiori coërcendum pronunciare possit: quod in specialibus infra casibus & materiis manifestius apparebit.

#### §. XIV.

Ut verò jura pubertati proximorum eò satius & ordine certò observatò expendere valeam, è re erit causas, ex quibus diversæ obligationes istorum veniunt, dispescere. Et quidem causæ ejusmodi vel civilem, vel criminalem obligationem respiciunt. Civilis obligatio ex contractu, vel quasi contractu, vel aliò actu contractus civiles aliquantùm transcendente nascitur. Et rursus hujusmodi obligatio vel contrahitur in judicio, vel extra judicium. In judiciò aliquæ concernunt personas judicium constituentes, aliquæ etiam Processum sive ordinem judiciorum.

#### §. XV.

Quod personas attinet, hîc singulate nihil quod pubertati proximis conveniens sit, offendo. Facile enim

B

per

per naturam sentimus, quòd, cum Judicis, Advocatiqve,  
item Procuratoris & Defensoris munus arduum, graveq;  
sit, qui non pueriles facetias tractant, sed talia quæ seriam  
maturitatem annorum desiderant; hinc ibi ne quidem  
puberem, nedum pubertati proximum admitti, posse pa-  
lâm est: cum primis quia malè judicantes damnum liti-  
gantibus datum in se derivant; *L. 6. ff. de extraord. cognit.*  
*L. 5. §. 4. ff. de Obl. & Act. Carpz. pr. Crim. q. 142.* & Pro-  
curatores per negligentiam aut ignorantiam nocentes a-  
ctione mandati teneantur. *L. 11. ff. mand. L. 13. 21. C. eod.*  
Ob eamqve rem LL. in hisce functionibus plenam puber-  
tatem requirant: scilicet annos octodecim, cui demum  
ætati Lex tale tribuit iudicium, ut quæ coram iudiciò à  
personis in eà natis gesta sint, aliquatenus tolerentur &  
rata habeantur, *L. 57. ff. de re jud.* Quæ autem ante hanc  
ætatem acta fuerint nullitate laborant, nullà juris civilis  
assistentià suffulta, *arg. L. 12. ff. de jud. L. 2. §. 1. ff. de R. J.*  
qualis juris sanctio & ad arbitria compromissoria exten-  
ditur. *L. 9. §. 41. ff. de recept. qui arbitr. recep.* in tantum  
quidem utrobique, ut nec judicantis munus in impube-  
rem collatum valeat, etiamsi id eà ratione concessum sit,  
ut demum post legitimam ætatem exerceri debeat, quia  
hic tempus electionis & commissionis, non functionis  
spectandum videtur notante Bartolo in *L. 22. pr. ff. ad L.*  
*Cornel. de fals. & Dec. ad L. 2. §. 1. ff. de R. J. n. 2.* Nec  
proinde ineleganter dicti Dd. hoc in aliis publicis fun-  
ctionibus ampliant, ceu quòd nec Notarius publicus im-  
pubes, aut pubertati proximus creari possit, ut officium  
id demum post legitimam ætatem exequatur: quod in  
similibus procedere vix negaverim: cum officia hujus-  
modi personæ præsentem habilitatem & industriam requi-  
rant, ex quò cives & Respublica præsentem quoqve datâ  
ido-

idoneâ occasione, utilitatem capere possit : Unde & aliâs legibus provisum credo, quod actus legitimi conditionem aut diei adjectionem per *L. 77. ff. de R. J.* haud admittant, quâquam & alias rationes subesse posse non negam.

§. XVI.

Quoad personam actoris pubertati proximo itidem obstat imbecille animi iudicium : hinc à limine iudicii rursus removendum esse, & quicquid circa personam vel res ipsius agendum, id omne ad tutoris partes pertinere jura volunt, *L. 2. C. qui leg. pers. stand. in jud. L. 5. ff. de R. J. Brunnem. ad L. cit. Cod. satius existimantia*, ut impuberum res regulariter tutorum arbitrio & periculo quoque relinquantur, quàm ut fortè isti ex suâ imperitiâ & puerili calore aliquid dicant, vel taceant, quod si fuisset non prolatum, vel expressum, illis prodesse & à deteriori calculo eripere potuisset *arg. L. 4. C. de aut. prest.* Sunt tamen certi casus ubi nostri pubertati proximi & soli citra auctoritatem & assistentiam tutorum in iudiciis nomen actoris tueri queant, modò mentem habeant, & sciant quid agant ; velut (1) ubi possessorium summarissimum intenditur, per expressam *L. f. C. qui legit. pers. stand. in jud.* ubi Imperator sancit, quòd actio momentaneæ possessionis à quâcunqve personâ exerceri possit, id quod *Dd. Perez. & Brunnem. ibid.* ad pubertati proximos extendere non dubitant : quia res parvi præjudicii illic subsit, causave proprietatis integra servetur. At verò cum possessorii summarissimi quoque causa hodiè tam parvi præjudicii vix habeatur, & quantum momentum in possessione momentaneâ situm sit, iudicia & processus plures edoceant ; hinc difficulter doctrina hæc nostro tempori & foro accommodabitur, & si pupillo tutor non sit, fortè tutius erit, ut ei à Judice ex officio Curator præficiatur,

tur, ne ex temporis momentò, tutorisqve carentiâ vel ab-  
sentiâ res pupillares nocumentum capiant. Accedit huic  
(2) actio popularis, quâ quilibet ad securitatem tuendam  
ad agendum admittitur, modò aliquod animi iudicium  
habeant: sed cum publicæ autoritatis ratio & gravius ne-  
gotium involvat, quàm quod proximus pubertati perci-  
piat, ideò *L. 6. ff. de act. popul.* hæc in persona pupilli  
limitat & restringit tantum ad causam istam, quæ priva-  
tum pupilli commodum simul involvat; atque dum ob  
favorem publicæ & privatæ utilitatis tolerata magis actrix  
persona pupilli & pubertati proximi, quàm quòd lex illam  
probet & legitimam personam standi in iudicio tribuat,  
censebitur: Ex quò & factum, ut agendi facultas minimè  
extendatur ad postulationem suspecti tutoris; licet & hæc  
in §. 3. *J. de susp. tut.* quasi publica vocetur. Porro (3)  
pubertati proximus ob alimenta à tutore denegata po-  
test actor adire iudicem per *L. 1. C. de alim. pupill. prest.*  
item si interdictò de liberò homine exhibendò ratione  
conjunctorum experiatur *L. 3. §. 11. ff. de lib. exhib. hom.*  
nec minus si deferre præsumat contrà administratores  
fisci, per *L. 16. ff. de jure fisci*, in quibus tribus casibus Lex  
ob singularem favorem causæ proximitati pubertatis, quæ  
mentem habere incipit, extraordinarium quicquam indul-  
sisse constat. Cæterùm in causis criminalibus idem pu-  
bertati proximis in accusandò permittendum haud est,  
etiã si suam aut Parentis injuriam vindicant, tumque tu-  
toris assistentiam Leges præcisè requirunt, *L. 4. C. de aut.*  
*prest. L. 2. §. 1. L. 8. 11. ff. de accus.* quamvis id non negem,  
quòd is deferendò indicium quoddam ad inquirendum,  
& corpus delicti investigandum præstet: Quando enim  
Judex ob rumorem solum ortum de gravi quòdam deli-  
ctò ad se delatò in originem ejus inquirere tenetur, per  
ea



ea quæ habet Brunnem, *in Proc. Inquisit. c. 4. n. 16.* multò magis pubertati proximi delatio ipsum movere potest, ut sub cautò quidem moderamine porrò in scandalosa & damnosa crimina inquirat.

§. XVII.

Quoad rei personam generale hoc notamus, quòd pubertati proximus in causà civili citra sui Autoris auctoritatem in iudicium trahi nequeat; sed quicquid ibi solus agit, promittitve juris autoritate & effectu facilè destituitur per *L. 1. § 2. C. qui legit. pers. stand. in jud. L. 54. ff. de re jud. L. 4. C. dn aut. prest.*

§. XVIII.

In formà iudicii sive processu notabile est, quòd LL. consentaneum maximè sit, ut pubertati proximus solus non citeretur, sed usque cum suò tutore in jus vocetur, ne desit ibi, qui personam illius tueatur, *arg. L. 2 ff. de adm. tut. § curat.* voluntque Dd. ut si citatio per scripturam expediatur, pubertati proximi nomen in libellò unà cum tutore suò exprimat, quòd infante aut infantia proximo necesse non est, sed sufficit ibi tantum tutorem nominatum & citatum esse. *Herold. ad Langii Proc. c. 34. n. 55.* Neque tamen nostris moribus ad pupillos solet dirigi citationis insinuatio, sed ad tutores potius: cum hi locò Domini habeantur, *L. 27. ff. de admin. tut. § curat. L. 26. § 4. ff. de furt. & periculum sit, ne incuria puerilis rem in sui & adversarii damnum obliuiosè & negligenter curet. Umm. Proc. Disp. 5. tb. 40.*

§. XIX.

Si verò sit ut aliquando iudicio experiatur pubertati proximus, ipsius tamen arbitrio non committitur advocatum vel procuratorem constituere, cum enim ipse personam standi in iudiciò non habeat, proinde nec alii vices

suas demandare poterit , inprimis cum nec obligare se sine tutoris autoritate valeat *Carp. Proc. T. 5. art. 15. n. 43.*

§. XX.

Quoad forum pubertati proximi , is utique particeps est Juris & privilegii, quod in *L. un. C. quand. Imper. inter pupill. vel vid.* continetur, nec interest hic, an qualitas personæ lite pendente mutata, & pubertati proximus major factus sit; aut an is vel dives vel egenus existat, quoniam privilegia Principum latissimè explicanda, & generalis locutio Principis privativam restrictionem non facilè admittit, quinimo hic quoque considerandum, quod usus doceat orphanos & pupillos divites non minus ac pauperes molestiis, cavillationibus & insidiis subesse, ob quæ privilegio & tribunali Principis frui debeant. Imò verò id meritò ad secundam quoque instantiam & ubi iudicium coram ordinariò iudice jam cœptum est extendunt: æquum enim est, ut & in hoc Processu adversus potentiam & insidias adversarii reformidatas tutelam legitimam habeant.

§. XXI.

Progredior ad alios processus articulos, ubi quoad punctum probationis pubertati proximus testis esse potest, per tradita *Dd. L. 3. § 5. L. 19. §. 1. ff. de test. arg. à contrariò potissimum sumtò. Laut. Comp. Jurid. Tit. de test. p. m. 691. Hahn. ad Wesenb. de test. n. 3. Struv. Exerc. 28. tb. 38.* modò negocium tale subsit, quod in capacitatem intellectus ejus cadat: neque, quod notandum in omni negotio juramento obstringi aut cogi ad jurandum possunt, & quicquid postea deposuerunt, totum ferè iudicis arbitrio subest, in quantum ei fides tribuenda, anque leve aut remotum indicium, vel semiplenam probationem præstet. *Bachov. V. 2. Disp. 5. tb. 8. Lit. a.*

§. XXII.

§. XXII.

In probatione subsidiaria, quæ per juramentum expeditur, singulare quidem nihil in juramenti delatione quod sciam, reperitur: nam sicut pubertati proximus sine tutoris auctoritate nequit res suas sive in judicio sive extrâ judicium administrare, ita nec juramenta deferre. *L. 17. §. 1. ff. de jur. jur. junct. L. f. ff. eod. Zanger. de except. p. 3. c. 16. n. 42. Carpz. p. 1, const. 14. def. 12.* quoniam conditionem suam per id deterioreffim effecere potest, nec non leve momentum habeat, causæ alicujus absolutam decisionem fidei & religioni adversarii committere, *arg. §. 1. J. de aut. tut. L. 9. ff. eod. tit.* Et hinc si pubertati proximus juramentum detulerit, & ab adversario juratum sit, hoc ipsi nil quicquam detrimenti feret, *arg. L. 1. C. de reb. cred.* Si verò tutore autore juramentum delatum fuerit, tutor ipse de calumniâ jurare tenebitur, quoniam tutor in juramento hęc persona principalis censetur, quippe qui scire debet, an frivole vel ex necessitate juris juramentum detulerit *Carpz. p. 1. decis. 37.* Atque idem quod in juramenti delatione assero, in istius relatione quoque fermè locum habere non dubito; cum dissimilis non possit esse dispositio, ubi par & adæqvata subest ratio. In juramento verò delato necesse non est ut mentio simul tutoris fiat, quoniam juramentum rationem personalissimam habet; hoc tamen singulare Leges notant, quod pupillus & pubertati proximus utut intelligens rei invitus ad juramenti istius depositionem cogi nequeat: nec tutor, neque mater aut similis persona ad jurandum adigatur, cum utrobique ratio imbecillis ac inconsideratæ ætatis, nec non perjurii periculum considerandum sit. *L. 34. §. 2. ff. de jur. jur. L. 4. ff. de in lit. jur. Seraph. de Seraphin. tr. de privil. juram. 83. n. 24.* Sed tum juramenti præstatio differtur, usque

usque pubertati proximus major factus sit, cum in favo-  
rem hujus ætatis multa à communi regulâ exorbitantia  
recepta sint *L. 9. ff. de adquir. hered. & sibi imputet ad-*  
*versarius, quòd pupillo juramentum detulerit arg. L. 3. §.*  
*5. ff. de Carbon. edict. Richter. de R. 7. reg. 11. n. 23. Carpz.*  
*proc. Jur. t. 11. art. 2. n. 38. Philipp. Proc. Elect. Tit. 18.*  
*Martin. in d. tit. 18. n. 27.* Imò verò nec tutor jure Saxon.  
volens jurare admittitur. quoniam id juramentum in alte-  
rius animam conceptum prorsus improbat. *Ordin. Proc.*  
*Tit. 18. §. fin.* utut aliàs jus civile tutori jurare volenti id  
permittat. In hòc tamen casu in utroque Jure favori li-  
tium citius finiendarum indulgetur, si plures litis confor-  
tes sint, quèis juramentum delatum sit, cæteriçve majores  
ad jurandum parati sint, tutor quoque nomine pubertati  
proximi de credulitate juraturus in favorem sui pupilli ad-  
mittitur. *Carpz. proc. Tit. 11. artic. 2. n. 44.* Cœterum si  
pubertati proximus juramentum sibi delatum præstiterit,  
num standum erit auctoritati ejus? Affirm. censeo per *L.*  
*26. ff. de jur. jur.* major enim salutis & tranquillitatis con-  
scientiæ pupillaris ratio tum habenda est, quàm ut scrupu-  
losius in veritatem causæ alicujus temporalis inquiratur;  
Si verò pupillus postea injustitiam rei juratæ deprehen-  
dat, vel de eâ moneatur hortandus est, ut injustitia posses-  
sum restituat, ejusque reatus nomine veniam à Deo pe-  
tat.

§. XXIII.

Cæterum cum talis impubes ad confessionem judi-  
cialem solus à judice admissus est, talis confessio, ideò quod  
is nec velle nec nolle, neque se sine tutoris auctoritate obli-  
gare queat, nullum juris effectum habebit, neque adver-  
sario jus quoddam tribuet *L. 6. §. pen. ff. de confessis junct.*  
*L. 4. C. de aut. prest.* Atque exinde sequitur quod & sen-  
ten-

tentia confessionem pubertati proximi secuta effectum non habeat, nec in rem judicatam abeat: secus, si hæc tutore autore agantur, tùm executio, si vincatur tutor, in bona impuberis rectè dirigetur. *L. 2. ff. de admin. tut.*

§. XXIV.

Extrajudiciales causæ vel respiciunt contractus civiles, vel actum naturam contractuum aliquando superantem. Per posterius intelligimus matrimonium, cui non modò honestatis publicæ causâ, sed & ut impedimenta quævis à limine matrimonii consumandi removeantur, sponsalia præmitti solent, circa quæ speciale hoc reperimus sancitum, quod pubertati proximi & in quibus ætatem malitiâ supplet, sponsalia firma & quidem de præsentibus celebrent quoque *c. 1. §. idem de despons. impub. §. 4. Inst. J. Can. Lancell. de sponsal. Ziegl. Comm. ad §. cit. quæ & Juri civili concordant. L. 14. ff. de sponsal.* in tantum quidem ut hic & infantia proximi habiles ad sponsalia ineunda existimentur. Fundamentum autem Juris Canonici positum esse in generandi facultate facilè constat: Nam cum teste Codice sacro Salomon in anno duodecimo Roboamum, & Achaz in anno nono vel decimo Ezechiam genuerint, nec non Historiæ profanæ de pluribus hujusmodi exemplis testentur, quæ collecta videre licet apud Sanchez, *de matrim. L. 7. Disp. 104. n. 29. Covarr. de spons. p. 2. c. 5. n. 5.* ac proinde ætas hæc apta quandoque sit ad liberos concipiendos & matrimonia consummanda; multò magis ista idonea erit ad contrahenda sponsalia. Dn. Ziegl. *in Comm. cit. ad J. Can.* Quo ipso tamen præcoces nimis tractatus connubiales ne utiqvam probàrim, sed ista si contigerint inter toleranda potius in Republ. quâdam arbitrè esse referenda. Quanta enim sunt, quæ Princeps  
C etiam

etiam invitus in civitate suâ non rarò permittere ac tolerare opus habet.

§. XXV.

Neque ex jam dictis dubitandum quin matrimonium à pubertati proximo consummatum Jure Canonico subsistat: velut quod spreto certo annorum numero corporis habitum & coeundi potentiam considerat: Jure civili verò nuptias pubertati proximorum legitimas & ratas esse affirmare non ausim: nec hîc virgò immatura, id est, ante annum 12. completum uxor erit legitima, sed consuetudo hujusmodi hominum impuberum annis demum pubertatis superatis, nomen & effectus legitimi matrimonii meretur, per *L. 4. ff. de rit. nupt. Vinn. ad princ. Inst. de nupt.* Neque minus quidem providum videtur Jus Canonicum salutarem hâc in parte cautelam adhibendò, ex quâ autore Nicolao Papa in *c. 2. X. de despons. impub.* matrimonia talia non facilè toleranda sunt, nisi gravissima causa, puta pacis publicæ & similis subsit, ejusque causæ cognitio sedula præmittatur: ob quod Canonistæ in hujusmodi ætatis nuptiis dispensationem Pontificis serio requirunt *Barbosa ad loc. cit. & Dd. ibi alleg.* At amabo quid judicandum si pubertati proximus contra Parentum consensum sub promissione matrimoniali cum majore vel etiam minore coierit? arbitror hîc juxta sancita juris Canonici habitum corporis & facultatem generandi sedulò indagandam esse. Nam si hæc in alterutro vel utroq; præsto non sit, vix est, ut matrimonium perfectum, & res non amplius integra statuatur; adeoque attentata tantum matrimonii, & malitia, quæ vires requisitas nondum acquisivissent, censenda erunt: neque per ista Parentibus jus Legis auctoritate quæsitum, diminutum erit; cum semper ita interpretatio & applicatio juris faciendâ, ne cui jui quæsitum

tum

tum adimatur. Cum autem generandi facultas adsit, & malitia ita suppleverit ætatem, ut concubitus perfectus consummatus, non dubito, quin copulæ tali dissensus Parentum amplius obesse non possit, cum & hic pudor naturalis, conscientiæ tranquillitas, honestas, & alia incommoda quæ dissolutionem hujusmodi communiter sequuntur attendenda sint.

§. XXVI.

In materia tutelarum hoc tangimus, quòd quæ de pueribus ibi sancita habentur, ad pubertati proximos referenda non sint, velut: mater intra annum non petendo liberis suis tutores ab istorum hæreditate excluditur, si isti in impubertate discesserint *L. 3. §. 6. C. ad Sc. Tertull.* Sed hoc extendendum haud est ad pubertati proximos, quare si tales liberi istius matris, ante petitionem tutoris moriantur, mater à pœnà nec tum excusatur, cum LL. ob certum favorem ordinis & ad malitiã & negligentiam aliorum coercendã introductæ, citrà causam Legibus cognitam & probatam restrictionem non admitant: Sicubi LL. impuberes à licentiã tutores suos suspectos postulandi removevent *§. 4. J. de susp. tut.* id in pubertati proximis minimè limitandum reor. Nam cum tutor patris loco habeatur & pubertati proximi vix discernere possint, quid ipsis expediat, aut minus, ac plerumque severitatem salutarem odio; perniciosam contrà assentationem amore prosequantur; neque aliàs personã standi in judicio potiantur, quare leges in favorem pupillorum & tutorum simul statutz strictè tenendæ, nec ex privato arbitriò limitandæ sunt. Si verò tutor quid malè gesserit cognati & necessarii hoc deferant, & his maximè judex aures præbeat, ut causã cognitã tutor vel removeatur, vel ei juxta *L. 9. ff.*

*de suspect. tut.* saltem curator aliquis adjungatur, aut si-  
mile quid statuatur.

§. XXVII.

Dissimile iudicium non est ferendum in causis ulti-  
marum voluntatum; ubi quoque malitia aut prudentia  
Jure Canonico notata ætatem minimè supplere potest.  
Brunnem. *ad L. 4. C. qui testam. fac. poss.* Schneidevv.  
*ad §. 1. §. quib. non est permiff. fac.* Nam ubi quis de o-  
mnibus facultatibus suis ad perpetuam validitatem statue-  
re intendit, ibi præsumtivum mentis iudicium non suffi-  
cit; cum primis, quod circa suprema elogia insidiæ & ma-  
litia hominum ob avaritiam & pravos eorum affectus ma-  
jores esse soleant, quàm in aliis negotiis; & hinc à publi-  
cà quodammodo utilitate jus & civilis determinatio in  
*L. 5. qui testam. fac. poss. & L. 4. C. eod.* dependet, contra  
quam ante pubertatis annos completos nulli testamenti  
factio activa concedenda est, ne quidem si pubertati pro-  
ximus tutoris auctoritatem adhibuerit *L. 1. §. 1. ff. de tut.*  
*& rat. distrab.* cum testandi facultas minimè ex alterius  
arbitrio dependere debeat *L. 32. ff. de Her. instit. Vinn. ad*  
*§. 1. §. quib. non est permiff. fac. test.* nec valet tùm puber-  
tati proximi elogium ad pias causas directum. *c. pen. de*  
*Sepult. in 6. Carpz. p. 3. const. 6. def. 6. Brunnem. d. l.* nec  
si miles sit *L. f. C. de testam. mil.* aut si is pubes factus dece-  
serit, quia per Regulam Catonianam, id quod ab initio  
vitiosum ex post facto convalescere nequit: Item si in te-  
stamento clausula codicillaris inserta fuerit, quia hic subest  
defectus in voluntatis plenitudine, quàm clausula ista sup-  
plere nequit: Neque distingvimus an voluntas suprema  
pubertati proximi per modum solennis testamenti sive  
codicilli & fideicommissi relicta sit: per *L. 2. ff. de Legat.*  
*1. Struv. Ex. 36. ib. 4.* Eave non minus ad donationem  
mor-



Mortis causa extenditur, per *L. 15. ff. de mort. causa donat.*  
quando hæc contractus figuram habet : Generalis verò  
juris hujus ratio in eo videtur sita, ut omnis occasio tolla-  
tur persuadendi, seducendi, corrumpendi & damna inferen-  
di pupillis vel etiam eorum necessariis, quibus ex aliorum  
malitiâ perperam & sine justâ causâ emolumentum succes-  
sionis in bona impuberum cognatorum intervertendum  
non est.

§. XXVIII.

Inter hæc summa capita quæ in præcipuis Juris nostri  
materiis tango non postremum locum occupat obligatio-  
num causa, ubi duplex classis obligationum examinanda  
venit: altera quatenus pubertati proximi naturaliter, alte-  
ra quatenus civiliter obligari dicantur. Priusquam ta-  
men id expendimus, vis naturalis obligationis præmitten-  
da, in quò capite vix dubitandi locus est pubertati proxi-  
mum hujus obligationis capacem esse. Nam ut natura  
quis obligetur primum requiritur subjectum capax intel-  
ligens status rei præsentis, secundò objectum honestum &  
licitum & tertio facultas rem gerendi in subjecto, velut  
quæ sæpè ab actu interveniente sufflaminari potue-  
rit. Neque enim absònum est, ut obligatio naturalis hæc  
ratione per actum civilem interpositum impediatur, ne  
illa nasci possit. Sic cum Juri naturæ conveniat, ut ab  
alio regatur, qui seipsum per ætatem defendere nequit &  
certi ob id tutores pupillorum, qui personæ & bonis uni-  
versis regulariter prospiciant Jus Civile præfecerit; hæc  
tutela civilis utiqve impedimento est, ut expedire pupil-  
lus nequeat, cujus aliàs naturà capax sit: atque sic quoad  
obligationem naturalem in actu primò & secundò ine-  
undam dicta tria requisita conjunctim attendenda sunt.  
Ex quò infero, quòd quia pubertati proximi intelligentes

C 3

rei

rei alicujus licitæ & capaces de eâ deliberandi aliquandò esse possunt, & ob necessitatem aut præsentissimâ utilitatem pupillorum aliquot actus eis civiliter interdicti non sunt, nec quidem vetari potuerunt; hinc quoque naturali ratione sapius obstringi queant, scilicet vel ad effectum & obligationem civilem, vel tantum ut conscientiam suam obligatam animadvertant, & Numen iratum habere intimius intelligant, nisi promissis stent, & contractum servant; quos aliàs vinculi hujus naturalis effectus graphicè depingunt. Selden. *de J. N. & Gent. L. 1. c. 4.* & Puffend. *ibid. 3. c. 4. §. 6.* Notum enim est quod jus civile non usque quâque naturali obligationi efficaciam suam civilem & vim externam tribuat, ita, ut id quod naturaliter gestum est, per actionem efficacem accipi possit: licet non putaverim quod id Jus vinculum naturale prorsus tollere aut scindere præsumat, sed svadet potius, & vult quidem, ut fides data servetur; coactionem verò & jus agendi similesve actus civiles cohibet, ut in pactò nudò & aliis causis videmus, ne lubricitas linguæ aut ingenii imbecillitas & similia civibus & Reipubl. noceant. Sic ubi pubertati proximus sine tutoris autoritate se obligaverit, quandoque natura debet, quandoque minus. Prius verum puto si negotium subsit honestum & licitum, cujus is satis intelligens sit; nec judicio & regimini cujusdam tertii ceu rectoris in eò planè subesse intelligatur; ac hinc in Judicis arbitriò positum videtur, quatenus pubertati proximus naturaliter obligari potuerit, aut minus: quia horum judicia & objecta cum suis circumstantiis variant maxime, nec regulam catholicam admittunt, unde non perperam aut iniquè Jcti Veteres scripsere, quòd pupillus stipulandò vel mutuum accipiendò naturaliter non obligetur, ut in *L. 4. ff. de condict. indeb. L. 59. ff. de obl. & Act.* videre est.

est, modò quòd is utiqve obligetur, ut ex *L. 25. ff. quando dies legat. L. 21. ff. ad L. falcid. L. 95. §. 2. ff. de solut. L. f. ff. de jur. jur.* constat. Siquidem & Autores istarum Legum juxta dicta regulam minimè generalem proponere intenderunt, sed ad casus sibi oblatos pro diversitate circumstantiarum responderunt, quod fortè clarius eluceret si integri casus & responsa istorum ad nos transmissa essent. Nam quis ibit inficias, pupillum inqvadam necessitate constitutum ex mutuò naturali jure obligari, velut si ad captivitatis redemptionem, vel vitæ sustentationem, vel simile præsentissimum emolumentum pecunia mutuò data? utiqve tum & sine tutoris autoritate naturaliter obligatur, neqve civilis autoritas obligationem hujusmodi deserere debet, cùm ei quoad id fieri possit, limites æqvitas naturalis custodire conveniat: & ut Imperator Constantinus in *L. 8. C. de judiciis* rescripsit: In omnibus rebus præcipua justitiæ & æqvitas, quàm stricti juris ratio habenda sit. Si verò extrà præsentem necessitatem & utilitatem ac fortè ad luxuriam & corruptionem tenellæ ætatis, quicquam sit datum vel exactum, nulla hinc naturæ regimen rectoris vel tutoris ratihabet, cujus cessante hinc autoritate, pupillus nec naturali ratione obligari potuit, quod Hugonem Grotium *de Jur. Bell. & Pac. L. 2. c. 1.* intendisse reor, dum pupillum citrà tutoris sui autoritatem ex jure gentium capacem Domini transferendi vel acqvirendi censet, si nempe necessitas vel præsentissima utilitas id requirat: aliàs verò regula firma stabit, naturæ conveniens & æqvum esse, ut qui ejus ætatis est, ut se suaqve regere & moderari nesciat in rebus agendis autoritatem Rectoris sui adhibeat, §. 6. *J. de Attib. tut.* Sed cum suprà subjectum intelligens & capax ad deliberandum de objectò honestò & utilitate præsentis aut fut

futura requisiverimus, talis autem capacitas & animus intelligens non usque pateat, ob eam rem moti sunt Icti Romani, ut animum istum ex eventu sapè judicârint, & ubi negocium pubertati proximo utile vel saltèm innocuum fuerit, actionem quandam civilem ei tribuerint, & hinc fidejussor pro pupillo se interponens firmiter obligatur per *L. 127. ff. de V. O.* item pupillo sine tutoris auctoritate obligationem novare permittitur *L. 1. ff. de novat.* Item pupillus in genere obstringitur si ex re actio veniat, *L. 46. ff. de V. O.* aut locupletior, id est, non pauperior factus est. *L. 1. pr. & L. 5. pr. ff. de autor. & Consens. tut. L. 1. §. 15, depos. L. 95. §. 2. ff. de solut.* Hinc quoque pubertati proximus ex suâ negociorum gestione tenetur, quatenus exinde lucrum ad eum redundasse constat *L. 4. §. 1. ff. de negot. gest.* Et si tertius impuberis negocia gesserit adversus hunc actio de impensis & similibus refundendis rursus sub hõc tamen modõ, in quantum locupletior inde factus pupillus, conceditur. *L. 2. C. de neg. gest.* Brunnem. *ad b. l.* cum natura non patiat ut quis cum damno alterius locupletior fiat. Nec quidem sufficit hîc, rem ab initio saltem utiliter esse gestam, postea verò peremptam aut inutilem redditam per *L. 10. ff. de negot. gest.* sed debet impubes tempore litis contestatæ locupletior esse *L. 37. pr. ff. de negot. gest.* adeoque non initium sed eventus etiam negocii spectandus est. *L. 2. C. de neg. gest. L. 47. §. 1. ff. de solut.* Demum & hoc præcipuum habet pubertati proximus, quòd ob dolum vel culpam ex *L. Aquilia* vel simili actione civili teneatur, per *L. 23. ff. de furt. L. 13. §. 1. ff. de dol. L. 1. §. 15. ff. depos. L. 111. ff. de R. J.* Iniquum enim foret ut dolum vel lata culpa pupilli noceat tertio; neque dignus judicatur præsidio Legum, qui contra Leges delinquere & committere præsumit, seque per id aliis nocere intelligit.

§. XXIX.

§. XXIX.

Cæterum non ambigo plura esse negotia civilia, ubi ratio singularis pubertati proximi haberi posset, sed ista ferè omnia ad communem naturam obligationum secundum dicta referri posse confido, neque propositum theses tantum quædam publicæ disquisitioni sistendi prolixiores discursus admittit.

§. XXX.

In criminalibus obligationibus ante omnia videndum, unde hæ nascantur: & eas quidem ex delicto oriri dubiò caret; Posthæc in quò ratio formalis delicti sita sit, novam quæstionem habet. Atque cum Dd. unanimi suffragiò dolum delicti formam appellent, hòc modò disquirendum quid hic proprie dolus significet, ubi quidem existimo doli formam in proposito contra Leges quid perpetrandi consistere; quæ propositum in causis criminalibus ad pœnam infligendam ordinariam quandoque sufficit. In quibusdam tamen criminum speciebus effectus consummatus simul desideratur: Neque in talibus usque necesse, ut damnum aliquod civile sibi vel tertio datum sit, sed satis est, ad pœnam etiam ordinariam infligendam quòd quis sciens & dolosè contra honestatem & Legem Dei egerit, aut sanctiones civiles conculcare fategerit: quod ultimum ex crimine sodomix & aliis delictis carnis facilè constat. Idve secus est in causis civilibus ubi Judex doli rationem seu temerarium propositum contra Legem privatam agendi solùm non attendit, nisi damnum simul tertio sit datum, ex quo maximè dolum dimetitur: & hinc etiam in doli hujusmodi descriptione per *L. 1. ff. de dol. mal.* animi decipiendi fallendique expressa sit mentio. Sed redeo ad rem: cumque in criminum obligatione

D

ne

ne dolosa violatio Legis crimen constituat, & pubertati proximus in Legibus nostris doli capax censeatur *L. 111. ff. de R. J. L. 7. C. de pœn. L. 14. ff. ad Sct. Silan. L. 23. ff. de furt. L. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. §. pen. J. de obl. quæ ex del. nasc. c. 1. X. de del. puer.* facile erit judicatu, quòd & criminis pœnæque reus esse possit. Quia tamen dolus suos gradus agnoscit, & in pubertati proximo judicium & deliberatio circumstantiarum præsentium, ac finis eventusve actus alicujus non satis perspici & ponderari possit, hinc dolus minor offenditur & levioris quoque pœnæ moderamen meritò habetur: cum delictum & pœna semper justâ invicem proportionem gaudere debeant, proindeque Leges ætatis rationem in suppliciis dictandis habendam esse seriò jubent. *L. 16. §. 3. ff. de pœn. L. 108. ff. de R. J. c. 1. x. de del. puer.* nec pœna ordinaria pubertati proximis imponenda, sed mitior quædam pro doli quantitate & qualitate. aliarum circumstantiarum habenda est. *L. 6. pr. ff. ad L. Jul. peculatus. Ant. Matth. de crim. ad L. 48. ff. t. 18. c. 4. n. 2. Steph. ad Const. Crim. art. 164. Coler. §. 1. Dec. 162. n. 3. Menoch. de A. J. Q. c. 329. n. 9.* Id quod Jura quoque Saxonica sequuntur, per text. *LandX. art. 65. L. 2. ubi: Rein Kind mag unter seinen Jahren was thun / damit es seinen Leib verwircken kan: quòd in locò Gloss. Lat. vocem Kind expresse de impubere antequam is annum decimum quartum expleverit interpretatur. Nec minus id firmat Sanctio Criminalis Caroli V. in art. 164. pr. quæ ubique ferè in nostrò Imperiò observatur. Sed mitigatio pœnæ non modò tùm locum habet, ubi crimen commissum pœnâ quâdam ordinariâ puniendum foret, sed & quando ratione commissi criminis saltem arbitrariæ pœnæ locus sit, puta si delictum fustigatione dignum judicetur, ubi pubertati proximus relegatione tantum coercendus.*

us. Ita si capitale supplicium maleficio aliàs congruum  
censeretur, pubertati proximus ab eò immunis pronun-  
ciatur; nec quidem fustigatio facilè locum inveniet, nisi  
paucissimi menses & modicum tempus à pubertatis annis  
absint; plerumque verò impubes in carcere saltem à mi-  
nistris publicis, nempe lictoribus aut carcerum custodi-  
bus non carnifice virgarum castigatione coërcebitur, ad-  
iuncta simul comminatione pœnæ severioris si à crimine  
non desistat *Carpz. p. 2. q. 81. n. 9. seqq. q. 82. n. 3. Philipp.  
ad L. 4. Inst. Ecl. 8. n. 12. cum alleg. quod ita pluribus præ-  
judiciis in diversis casibus confirmat, Magnif. Dn. Stryk.  
Disp. de pœr. impub. c. 4. n. 43. 50. seqq.* In hoc verò Judi-  
ces oportet esse providos & discretos, ne suâ propriâ au-  
thoritate & iudicio nixi pœnas hujusmodi mitigare præ-  
sumant sed in arduis hujusmodi causis totum hoc Pruden-  
tum arbitrio in Scabinatibus & Juridicis Facultatibus, ut vo-  
camus, submittat ceu per dictam ordin. Carolin. serio ju-  
bentur. art. 164. Quod eò magis attendendum, quia mitiga-  
tio hujusmodi non in omnib9 casibus admittitur: nã quan-  
doq; alicujus pubertati proximi malitia adeo ætatem sup-  
plet, ut callida ejus perversitas vel vincat puberes adultiores,  
I. eos certè adæquet: Quod & Leges Romanas notasse legim9  
*L. 23. ff. de furt. L. 14. ff. ad Sct. Silan. L. 14. ff. de tutel. Ta-  
bor. ad Const. Crim. art. 164. n. 10. J. Caball. Res. crim.  
cas. 134. n. 8. in f.* In quo casu aliàs Dd. monita haud sper-  
nenda videntur nimirum quòd juxta laudatam Caroli V.  
sanctionem *dict. art. 164.* sedulò videre conveniat, primo,  
ne pubertati proximus multùm absit ab anno decimo quar-  
to cum illic dicatur, *Es seye zubeobachten ob der Dieb nahe  
bey 14. Jahren.* secundo, ne de animo in perversitate quasi  
obfirmato, & certæ ætatis malitia dubitari possit, per ver-  
ba: *daß die Bosheit das Alter erfüllen möchte.* Et tertio,

ne crimen commissum sit grave tantum, sed omnino atrocius, aut quod tales comites habeat circumstantias, quibus crimen apprimè gravetur, oder beschwerliche Umstände so gefährlich dabey befunden wurden: Neque alterutrum ex his requisitis sufficit, sed omnia conjunctim exiguntur sicuti in pubertati proximum ordinaria poena mortis statui debeat. *Carpz. Crim. q. 143. n. 51. seqq. Tabor. Racemat. ad art. Carel. Const. 164. n. 7. seqq.* Ita quæ delicta atrociora vocari mereantur, per certam regulam definiri nequit; communiter tamen Dd. hæc ad istiusmodi, restringunt delicta, quæ vel ultimo capitis supplicio aut poenâ corporis afflictivâ puniuntur. Modo etiam circumstantiæ in pubertati proximis adeo diffidentes reperiuntur, ut Dd. illas ab omni poenâ immunes decidant, verbi causa si delictum tantum in omissione non commissione consistat: cum in his criminibus quæ omittendò fiunt, dolus in ætate nostrum impuberum haud præsumatur, argum. quoddam petentes ex *L. 2. C. si advers. Del. L. 6. C. de his quæ ut indignis Gomez. T. 3. Var. Resol. c. 1. n. 59. pr. Sfortia Dd. restit. in integr. q. 80. n. 2. 1 seqq. Vinn. Comm. ad §. 18. J. de obl. quæ ex del.* Sed puto hæc & similia argumenta tantum valere ad præsumtionem juris inducendam, quod pubertati proximus talia crimina per dolosam omissionem non patriverit; quare si dolus aliunde constet & ex indiciis concludentibus probetur, secus quoque pronunciandum foret: Præterea & circa delicta commissiva, qualitas eorum investiganda, an jure naturæ, adeoque ex communi Gentium honestate prohibitio dependeat, an verò ex censurâ Juris Civilis aut Statutarii; in prioribus judex difficiliter ad mitigationem inclinabit. Id enim ignotum esse non potest, nec debet, quod recta ratio & prima puerorum institutio inculcat; in posterioribus verò ignosci facilius potue-



potuerit : nam cum alijs causa quævis & fatua quidem in  
dubio excuset a dolo, multo magis status immaturæ ætatis,  
velut quæ alias pro se favorem & præsumtionem ignoran-  
tiæ Juris civilis habet, & ita pubertati proximi in dubio  
semper à dolo excusari vel lenius puniri debet. Porro,  
cum in aliquibus delictis clandestinis ad pœnam ordina-  
riam infligendam eorum consummatio consideretur, ceu  
in Sodomia, adulterio stupro & similibus, adeoque Judi-  
cem & hic cautum esse oportet, ut in dubio magis præsu-  
mat de crimine tantum attentato non perfecto : Neque  
hic proinde ordinarium & atrocius supplicium infligen-  
dum erit, Gomez. *Var. Resol. d. l. n. 59.* Carpz. *qv. 41. n. 2.*  
Vinn. *loc. cit. n. 3.* Quid verò si pubertati proximus tu-  
tore autore deliquerit, tum hic pro mandante habendus,  
& propterea *L. 11. ff. de injur. & L. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar.*  
ita accommodandæ videntur, ut utrinque tutor & pupil-  
lus pro qualitate doli pœnam sustineant & hinc si tutor  
pupillo suo pecuniam aut similia largiatur, ut assassinium  
committat, putarim pœnam *L. Corn. de sicar.* non modò  
locum in Tutore habere, sed eam prætereà exasperandam  
esse: quia mandato suo non tantum homicidium commi-  
sit, sed insuper innocentem pupillum suo regimini suæque  
dexteritati & fidei commissum pessime corrupit: In pu-  
pillo verò vix capitis pœna nedum rotæ supplicium locum  
habere arbitror: quia metus quidam reverentialis, imbe-  
cille & innocens judicium, subministratio pecuniæ aut rei  
luxuriosæ, quæ gaudet & hæc ætas, idemque permissio &  
ostensio modi tractandi instrumenta mortifera tutoris  
partes gravant, impuberis verò utrumque relevent, & pœ-  
nam atrociorē deprecantur. His addimus quod Juramentū  
de non vindicandō s. urphedā, quò iudicio & iudicii mi-  
hi-

nistris, nec non aliis contra vindictam delinquentis cave-  
tur, quanquam illud art. 164. *Const. Crim.* requirat, in pra-  
xi tamen pubertati proximis remitti soleat teste *Carpz. pr.*  
*Crim. q. 143. n. 38.* Ultimum sit, quod pubertati proxi-  
mus torturae quae membra hominis dolore vel cruciatu af-  
ficiuntur, non subjiciatur per *L. 10. pr. ff. de quaest. L. 1. §. 33.*  
*ff. ad Sct. Silan.* Si tamen malitia & atrocitas facti id exi-  
gat, territio realis, ceu gradus torturae primus adhiberi  
istiqve terreri tantum & habenam vel ferulam cadi possent,  
ut latius hoc persequuntur *Carpz. p. 3. q. 118. n. 10. seqq. Ant.*  
*Matth. de Crimin. ad L. 48. ff. tit. 16. c. 2. n. 9. Tabor. de*  
*Fortur. c. 5. l. 25. seqq.* Quae pro specimine hoc mihi  
publice inuncto sufficient.

FINIS.



05 A 1517

ULB Halle 3  
003 778 673



1017







Farbkarte #13

B.I.G.

27

*lix Faustumq, sit*  
O INAUGURALIS  
*Quam*

DE  
**RTATI**  
**EORUMQVE**  
**IBUS,**

280

AUTORITATE MAGNIFICI  
UM ORDINIS  
DEMIA WITTEBERGENSI  
ÆSIDE

CARISSIMO  
**RO ZIEGLERO,**  
ELECT. SAXON. ET FA.  
D. ORDINARIO.

*eternum de venerandò*  
ICENTIA  
ure honores & Privilegia  
mè capessendi

*disquisitioni exponit*  
**ELIAS Schlegel /**  
M. MISN.  
mo M.DC.LXXXVII.  
oris ante & pomeridanis.

WITTEBERGÆ  
NCKELII, Acad. Typogr.